



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

52. An percutientes Eremitas, si sint sub obedientia Episcopi vel alterius
Prælati, incidant in censuram? Ex quo infertur, quid dicendum sit de
Fratribus tertij Ordinis D. Francisci, & D. Dominici, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Sed in nostro casu non sumus in pœnalibus, sed in favorabilibus: At in materia favorabili venit quilibet Religiosus sub nomine Clericorum, ut notat Felinus in cap. non dubium, n. 1. de Sent. excomm. Sylvester in Summa, verb. Clericus, §. 1. Marius Antonius variat. resol. lib. 1. resol. 11. 2. casu 63. sub. vers. 2. Duen. reg. 99. ampl. 3. & regul. 100. ampl. 5.

3. Quod autem in casu, de quo loquitur Decretum Concilij Constantiensis non sit pœnale, sed favorabile, probatur: nam ut docent communiter DD. tunc lex censenda est favorabilis, etiam si contineat odium alicujus, quando per ipsam primario intenditur favor alicujus; Glossa in cap. Si propter verb. Prim. anni. De rescriptis in 6. Domin. n. 9. Francus, n. 6. Item Gloss. in c. Sciatis cum sit verb. Alios, de elect. in 6. Io. Andreas, & Geminianus, ibid. Felin. in c. 1. de Spons. n. 14. vers. Aliud est, in cap. Non dubium, n. 2. de Sent. excomm. Bartolus in leg. Qui exceptionem n. 2. ff. de condit. indeb. Io. Albertus, & Salicetus ibid. Castrensis, in l. Si quis nec cessum, n. 4. ff. Si cert. pet. Everardus lege à ratione, l. ampl. & c. n. 68. Covarruvias, lib. 1. Variar. c. 11. n. m. 5. alios citans, Tiraquellus in Retract. in Prafat. num. 56. Mandosius, reg. 10. de ann. 3. n. 7. Menochius de recuper. poss. Remed. 1. n. 28. Cephalus conf. 35. vol. 1. Hondedeus conf. 9. n. 17. Sylvester verb. Interpretatio, in fine. Ludovicus de off. Luc. ens. 26. n. 23. part. 1. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 1. n. 4. Parisius de resign. libro 1. c. 2. n. 23. Sed in nostro casu, tam capitul. Si quis suadente diabolo, quam decretum Concilij Constantiensis, licet intendat odium alicujus, nempe publici Clerici percussoris, tamen principaliter intendit favorem Status Ecclesiastici, ut de se patet: ergo in utroque casu Pontifices sub nomine Clericorum, comprehensisse Religiosos dicendum est. Vnde patet responso ad argumenta Baucij; nam facit cap. Si quis suadente loqui passivè, videlicet de his, qui gaudent privilegio Canonis, & Decretum Concilij Constantiensis activè, videlicet de percussoribus Clericorum: sed hoc nihil officit, nam in utraque dispositione Constitutiones, ut probatum est, non pœnales, sed favorabiles dicendæ sunt, ergo sub nomine Clericorum, Religiosos comprehendunt. Dicendum est itaque percussientes notorie Equites Hierosolymitanos, D. Iacobi, Calatrava, Alcantara, Montesa, &c. vel Laicos Religiosos, esse tanquam publicos percussores Clerici vitados vigore Decreti Concil. Constantiensis.

4. Nota tamen, quod in tali casu, uti alibi adnotavi, difficulter quis dici potest notorius Clerici percussor, si ante non præcedat Iudicis declaratio: nam fere semper percussio illa, licet sit publica, aliqua potest tergiversatione celari. Ergo talis percussor, non est vitandus ante, ut dixi declaratoriam Iudicis. Et ideo præter Doctores à me alibi adductos, nostram sententiam tenet me citato Franciscus de Nigro, in Addit. ad Ruyz de Sacrificio Missæ part. 7. §. 9. n. 20. & ex eadem Religione me citato Amicus noster Pater Trimarchi, in quadam Iuridica lucubratione contra Episcopum Agrigentinum impressa Messanæ fol. 13. & me citato Antonellus in Regim. Ecclesia Episcopalis, tom. 2. lib. 8. c. 6. n. 14. & me citato Bordonus in Miscellaneis Decis. 387. & me citato Garcias in Summa Theologia moralis, tract. 1. diff. 3. dub. 2. punct. 5. n. 42. quibus adde Hurtaudum de excommunicatione, diff. 2. diff. 3. n. 9. & Ludovicum Caspensem in Curia Theologica, tom. 2. tract. 25. disp. 2. sect. 2. n. 15. ubi sic ait: Declarandum est, quis dicatur notorius percussor Clerici, ut illum vitare teneamur. Duplex est autem notorium juris, & facti. Ad notorietatem per evidentiam facti requiritur, quod sciatur evidenter à tota Civitate, vel populo, vel à majori parte: & quia secundum nonnullos decem personæ faciunt popu-

lum; ideo illud dicitur notorium, quod sit saltem coram decem hominibus: juxta verò sententiam aliorum, sufficit quod fiat coram lex, quia est major pars eorum, qui requiruntur ad constituendum populum, licet de facto non sint major pars populi. Sed certe non potest assignari regula certa, quia qui percussit Clericum coram decem non erit notorius in magna civitate, bene tamen in oppido parvo, & qui in domo privata percussit Clericum coram sex, vel septem, non erit notorius; si verò in Collegio, seu Conventu parvo Religiosorum, respectu illorum erit notorius; atque ita hoc relinquendum est iudicio prudentum. Notorium verò Iuris dicitur illud, de quo constat per juridicam sententiam latam in legitimo iudicio, vel per confessionem ipsius rei in iudicio, vel per legitimam testimonium depositionem in eodem iudicio. Ut ergo quis sit publicus, & notorius percussor Clerici ut teneatur illum vitare, talis debet esse, ut ejus percussio nulla possit tergiversatione celari, nullo juris remedio excusari; sique non sufficit fama publica, cum adhuc juris remedio excusari possit allegando in iudicio rumoris falsitatem, vel se ebrium esse, aut in sui justam defensionem fecisse: neque sufficit ut percussio notoria sit, & patens multis, si non sit notorium iis, qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, quæ à peccato excusaretur: hoc autem, quia constare non potest nisi per Iudicis sententiam, ideo requiritur quod illa percussio sit notorietate juris, ut nullo juris remedio possit excusari, quæ notorietas haberi non potest, nisi per legitimam Iudicis sententiam in iudicio latam. Ita Caspensis, & iterum Ego.

RESOL. LII.

An percussientes Eremitas, si sint sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati, incidunt in censuram? Ex quo inferitur, quid dicendum sit de Fratribus tertij Ordinis D. Francisci, & D. Dominici, vitam in communitate gerentibus, & habitum Religionis gestantibus, an hoc privilegio Canonis, imò & fori gaudeant? Et quid de prædictis Fratribus, qui in propriis domibus commorantur, & se suæque bona Religioni obtulerunt? Ex part. 9. tract. 4. Res. 11.

§. 1. Negativè videtur respondendum ex Castro Palao tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 1. n. 14. ubi sic ait: Fratres tertij Ordinis D. Francisci, & D. Dominici, vitam in Communitate gerentes, & Habitum Religionis gestantes, hoc privilegio Canonis, imò fori, gaudent: quia, esto, veri Religiosi non sint; Religionis tamen statum imitantur; ideoque privilegium Religiosis concessum, utpote favorabile, ad ipsos extenditur. Secus verò dicendum est de iis Fratribus, qui in propriis domibus commorantur, etsi se, suæque bona Religioni obtulerint, Habitumque illius gestaverint. Idem fere dicendum est de Eremitis, qui sub aliqua Regula, & obedientia vitæ agerent, edito paupertatis, vel obedientiæ voto, vel pacto inito, hoc privilegio protegentur. Secus verò si nullam ex his obligationibus susceperint, tamen ex commissione Episcopi alicui Ecclesiæ inserviant, & Habitum gestent singularem: quia non firmum, & stabilem modum vivendi habent, cum pro libito possint ab eo recedere. Ita ille, qui citat Molinam, Suarez, Layman, & alios, quibus ego addo Fragolum de Republ. Christi tom. 2. disp. 2. §. 1. n. 40. & 41. & Turrian. de censur. lib. 3. disp. 29. dub. 1. in fine, & Coninch. de Sacrament. disp. 14. dub. 15. num. 164. ubi ita asserit: Vtrum verò Eremitæ hoc privilegio gaudeant,

cursum in alio vers. eorum annor.

* Pro privilegio fori in tom. 9. tr. 2. Res. 175 §. 1. Sed quid,

deant, non est ita cœtum: multi asserunt; alij vetō negant. Vide Sylvestrum *verb. Eremita. n. 2.* Valde probabile est, eos solos gaudere, qui alicui Religioni per votum obstricti sunt, aut saltem alicui Prælo Ecclesiastico ratione voti, aut muneris, quo alicui Ecclesiæ deputari deservierunt, sunt subiecti.] Ita Coninch.

2. Sed contrariæ sententiæ adhæret Leone *trakt. de censur. recollectio. n. 32.* [Eremitæ enim, ait, non solum gaudent hoc privilegio, quando vivunt in communi sub aliquo Prælo ecclesiastico ex tacita, vel expressa Pontificis autoritate, de quibus non est difficultas apud Doctores, quibus accedit Bossius de *Indulto, sect. 2. casu 22. n. 60.* sed etiam quando non vivunt in communi, sed seorsim cum Habitu religioso alicui sacro loco servientes sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati.] Hæc Leone, cui adde Squillantem *de privileg. Cleric. n. 34.* sic aientem:] Censeo, quod Eremitæ, qui Religiosi non sunt, (nam de Eremitis, qui proficere tria vota Religionis, ut sunt Camaldulenses, non est ambiendi locus,) si ex speciali obligatione, & quasi traditione alicui Ecclesiæ, vel loco sacro dicati sunt, cum speciali subiectione ad Episcopum, gaudeant hoc privilegio, cum sint personæ specialiter Deo dicatæ, seu devotæ. Secus verò esset dicendum de Eremitis, qui vagi dicuntur, nec definiti, aut firmum vitæ modum, neque aliquam specialem obligationem ecclesiasticam habent,] Ita ille. Vide etiam Lezanam in *Summa 99. Regular. tom. 2. c. 7. n. 6.*

RESOL. LIII.

An si quis eadem actione, qua fit tota simul, v. g. baculo, percutiat duos Clericos, vel scilicet duos interficiat, incurrat duas excommunicationes?

Idem est dicendum de eo, qui eadem actione duo vasa rapuit diversorum dominorum, si factum erat prohibitum sub censura.

Idem etiam de iudice, qui simul duobus manibus trahit duos homines vi e templo contra Immunitatem: vel eo, qui eodem tempore conversatur cum duobus excommunicatis. Ex part. 5. tract. 9. Ref. 59.

Sup. hoc in
tom. 1. tr. 7.
ref. 2. §. ult.
in princ. & in
ref. 22. §. 1.
ante med.
vers. Quar-
to.

§. 1. Probabile est unicam dumtaxat excommunicationem incurere, quia illa est simpliciter una transgressio & unicum peccatum, sicut qui uno verbo blasphematur de duodecim Apostolis unicum tantum peccatum committit, & idem dico si eadem actione duo vasa furetur diversorum dominorum. Nec obstat quod ex illa jaculatione plures passiones & plura nocumenta sequantur, cum illa non sint plura peccata, sed plures effectus ejusdem peccati. Ita Cornejo in 3. p. tr. 5. de cens. in gen. disp. 6. dub. ult. §. 4. & Suarez de cens. disp. 5. sect. 3. n. 8. qui tamen contrariam sententiam probabiliorē putant, quia illæ poenæ feruntur ratione in iuræ factæ tali personæ, scilicet Ecclesiasticæ, aut ratione homicidij, ergo cum ibi sint duæ injuriæ, & duo homicidia, simpliciter & absolute loquendo, ratione diversitatis personarum debent multiplicari poenæ, quamvis ex eadem actione culpabili procedant. Et idem existimat Cornejo dicendum, propter eandem rationem, de eo, * qui eadem actione duo vasa rapuit diversorum dominorum, si factum erat prohibitum sub censura; sed circa hoc contrarium sentit Suarez, unde utramque sententiam probabilem esse puto, licet novissime affirmativam doceat Gordonus in *sum. tom. 2. lib. 7. c. 3. c. 1. §. 3. n. 23.* ubi sic ait. Quæres quid si tota actio fiat simul atque omnino unica, & simul tempore terminetur ad plures personas, ut cum quis uno ictu duos occidit, aut in

* Sup. hoc
eiusdem & re-
citantes in
Ref. seq. §. Ad
secundum in
fin.

iudice, qui simul duabus manibus trahit duos homines vi e templo contra immunitatem, vel de eo, qui eodem tempore conversatur cum duobus excommunicatis? putant aliqui hoc delictum esse grave, & tamen unicum esse peccatum; quia cum totum simul fiat, unica transgressio est, præsertim in moralibus. Respondeo tamen probabilius videri hic esse plura peccata, quia simpliciter, v. g. sint plura homicidia, & actus externo malo prohibito, & hoc saltem quod excommunicationem sufficit, ut scilicet in ordine ad eam dicamus esse plura peccata, sive in speculatione Theologica de actibus malis sint plura peccata, sive non in rigore: ponderatur enim hæc externa injuria, & absolutiones pro pluribus excommunicationibus petendæ sunt, atque hoc in praxi securus est. Sed, ut dixi, contraria sententia est probabilis.

RESOL. LIV.

An percussus plures Clericos successive incurrat totas censuras, quot sint Clerici percussi?

Et an ligatus una censura sit adhuc capax alterius, non tamen diversa rationis, sed ejusdem?

Et notatur, quod plures censuræ incurrantur ab eo, qui percussit unum actum habentem plures circumstantias, pro quibus si quis lata est sententia censura, si tamen dicta circumstantia mutant speciem actus mortalis, seu autem si non mutant speciem.

Et queritur, si quis percussit Monachum initiatum prima tonsura, an duas censuras incurrat?

Etiamque notatur, quod ipse censura incurritur, qui sint Superiores prohibentes, quando habent diversam potestatem, secus si eandem. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 60.

§. 1. Videtur negativè respondendum, quia comedere in die prohibito carnes, pisces, & ovis, eadē continuata actione ex parte temporis est unica transgressio, & non plures, ut nunc suppono, quamvis subiecta sint diversa; ergo similiter occidere duos homines eadem actione continuata ex parte temporis. Deinde qui continuatis alportationibus per totā noctem plura ab eodem arario furatur, unicam tantum excommunicationem incurrit, si illi furtis sit annexa excommunicatio, & tamen istæ actiones in materia justitiæ inveniuntur; ergo similiter & in nostro casu.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam docent communiter Doctores, ut Alterius de cens. lib. 3. disp. 10. c. 8. Bonacina de cens. disp. 9. dub. ult. §. 3. & alij communiter, quia istæ percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ, unitas enim numerica percussionum non tantum desumitur à continuatione temporis & actionis, verum etiam ab objecto, circa quod exercetur actio & percussio; igitur dictæ percussiones, quamvis ex parte temporis sint continuæ, & interruptæ, ex parte verò subiecti & termini ad quem, sunt indistinctæ.

3. Ad primum argumentum responderet Cornejo negando consequentiam: & ratio discriminis est quod actio illa occisiva duorum hominum, cum sit in materia justitiæ respicit ipsos homines, non solum ut subiecta, sed etiam ut terminos diversos, quia justitia & injuria sunt ad alterum, & sic actio illa, quæ alias erat una per continuationem ex parte temporis, est nunc duplex & discreta simpliciter non solum ex diversitate subiectorum, sed etiam terminorum. At verò comestio illa continuata, & quævis alia actio in materia temperantiæ & aliarum virtutum, quæ non sunt ad alterum, sicut justitia, sed ad ipsum operantem, non habet terminos ad quos diversos, sed eundemmet operantem.